



Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Impedimenta

Bellecius, Aloysius

Ratisbonæ [u.a.], 1755

Caput VI. De socordia in surgendo.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55524](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55524)

CAPUT VI.
DE SOCORDIA
IN SURGENDO.

Sicut teste Ecclesiastico *vinum moderatè potatum, exultatio est anima, & sanitas corpori: contrà verò multum potatum, est amaritudo anime, atque irritationem, iram, & ruinas multas facit.* (a) sic quoque somnus temperanter admissus, lassos artus mentemque reficit; ultra præscriptos autem limites productus, non solum meritorum augmento, obtinendæque perfectioni vehementer incommodat; sed insuper plurima in animum mala facundo comitatu inducit. Hanc enim somniculosam in surgendo inertiam uberem esse scaturiginem, ex qua innumeri per diem defectus perenni serie profluunt, æquè tristis ac frequens experientia docet. Ut proin
inter perniciofa virtutis solidæ obsta-
Q5 cula

(a) Escli. 31. v. 36. & seq.

cula non ultimum sibi locum hæc fe-
gnities meritò vendicet. Ejus ergo fu-
gam ut efficacius persuadeam, I. illius
malitiam, II. vilitatem, III. damna ob
oculos breviter ponam; probando,
eam esse peccatum, & quidem tur-
pe, valdeque noxium.

§. I.

Est Peccatum.

I.
*Probatur
id à pari.*

I. **P**rimum quod attinet, inprimis
hæc in surgendo pigritia est pia-
culum inter minora non minimum.
Constat id luculenter inducto à pari
argumento. Nam auctore Augusti-
no, cui gemina Ecclesiæ lumina (b)
suffragantur, *quoties aliquis in cibo &
potu plus accipit, quàm necesse sit, ad mi-
nuta peccata pertinere noverit.* (c) Ergo
etiam quoties aliquis fomno amplius
tribuit, quàm corporis habitudo po-
stulat, levi errato se obstringet.

Si

(b) S. Gregor. M. lib. 30. Mor. c. 7. S. Thom.
2. 2. q. 148. a. 1. & 4. (c) Aug. Tom. 10.
Serm. 4. in die animarum.

Si enim Angelico Doctore manifestum est, *inordinatum edendi appetitum esse peccatum*; (d) qua prerogativa minus ordinata dormiendi appetentia à simili culpa eximetur? præsertim cum par utrinque militet ratio. Nam secundum Aquinatem *omnia delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem, sicut ad finem.* (e) Nota, *omnia delectabilia*: ergo etiam somnus. Ergo ordo & finis à natura institutus exigit, ut is solum admittatur propter necessitudinem. *Necessitas enim hujus vitæ* (verba sunt S. Thomæ) *est regula delectabilium, quæ vult, ut præcisè tantum eis utamur, quantum necessitas hujus vitæ requirit.* (f) Igitur qui neglecta hac regula tamen ultra quàm necesse sit, sopori indulget, finem naturæ & ordinem pervertit: contra legem rationis agit; proinde peccat.

Dein comedere, & bibere ob solam voluptatem etiam moderatè, est levior
offen-

(d) Loc. suprà cit. (e) 2. 2. Q. 141, a. 6.
(f) Ibidem.

offensa DEI, ut fusè & doctè probat Cardenas, commentando in propositionem VIII. ab Innocentio XI. damnatam; (g) ubi ostendit, solum hoc membrum, reliquis etiam omissis, fuisse motivum sufficiens, illam thesin nigro theta notandi. Quis ergo inficias ibit, par delictum esse, diutius dormire ob solam voluptatem? Licet enim ejusmodi dormitatores suæ huic desidiæ aliud semper & aliud palliolum prætexere consueverint, tamen solam rei suavitatem unicum eis incitamentum esse, ipsa nostrî proditor conscientia clamat, ut infra pluribus ostendetur. Itaque quàm parum *appetitus naturalis edendi*, æquè parum *appetitus naturalis dormiendi licitè suis actibus fruitur*, blandimentum inde ortum ultimò ac unicè spectando; cum ob rationum paritatem utraque assertio, utpote sub illa octava virtualiter (ut ajunt) contenta, æquali fulmine Vaticana ex arce perculsa sit, atque proscripta. Dixi: *fruitur*; nam somni dulcedine licet quidem *uti*, ad
altio-

altiore[m] eam finem velut medium dirigendo; non tamen *frui*, in ea sola quasi in fine quiescendo. Quo sensu cuidam Epicuri alumno Seneca reposuisse fertur: *tu voluptate fruere, ego utor.* (h)

II. Nec opponas, vacare noxa, audire musicam, olfacere florem, venari, ambulare ob solam delectationem his actibus propriam; adeoque nec malum fore, diutius hærere in lecto ob solam, quæ hanc inertiam comitatur, sensuum illecebram. Nam imprimis etiam hanc propositionem, tanquam in illa thesi octava virtualiter contentam, pariter ab Innocentio XI. damnari, mordicus contendit Cardenas, hanc suam opinionem tutans auctoritate S. Thomæ. (i) Sed demus, verum esse, quod objicitur; tamen adhuc lata inter meam & allatam positionem intercedit diversitas.

II.
Responde-
tur oppo-
sitioni.

Nam

(h) Seneca libro de vita beata. (i) Dissertatione 2, c. 1, q. 3, q. 2, n. 37, & 38.

Nam enarratæ actiones à natura ad hunc finem sunt ordinatæ, ut animum relaxent. Unde sequitur, quod illa oblectatio, quæ in hac animi relaxatione consistit, (tanquam intentus à natura finis) ratione sui appeti possit. Contrà verò illud, ex somno uti & ex cibo proveniens, oblectamentum est institutum, ut solùm sit medium, quo alliciamur ad nostras vires per moderatum eorundem usum conservandas. Proin inverteretur ordo naturæ, si hujusmodi lenocinia directè & ratione sui quærentur; sique in annexo eis blandimento tanquam in fine sisteretur.

Accedit, quod jucunditas ex musica resultans, ad superna mentem potius elevet, quàm inde abstrahat; cum è contrario prolixior somnus brutis similes nos, totosque hebetes reddat. Unde concluditur, inter non necessarium soporem, ac relatas exercitationes ingens intervenire discrimen, & ex posteriorum honestate minimè inferri posse innocentiam prioris; adeo-

adeoque socordiam in surgendo non minus piaculum esse, ac intemperantiam in comedendo.

III. Præterea qui sponte & temerè ^{III. Probatur idem ratione} ponit ejus generis actionem, quam providet turpissimis tentationibus lubricam occasionem præbituram, peccat. Ita pronunciant communi assensu omnia Theologorum subsellia. Jam verò talia stragulorum mancipia per suam hanc præcipuè insomnem in toro moram studiosè dant ansam variis imaginibus, & quidem foedissimis, periculosissimis; idque tristi experientia docti optimè norunt. Ergo peccant; saltem si sit periculum consensus; & quidem lethalem in modum, si illud omnino proximum existat; leviter verò, si minùs propinquum id sit.

Denique contumax hæc & lenocinans in strato pigritia est causa deliberatè & quidem præter jus & fas temerariè volita effectûs leviter mali, nempe diurni illius teporis, qui præcipu-

cipuas, imò omnes totius diei functiones vitiat, destruit, pessundat. Ergo etiam illa ejusdem malitiæ rea erit. Cuicumque ergo DEUS est cordi, ejusque offensa horrore; quicumque ea credit, quæ de malignitate, effectibus & pœnis peccati venialis in prima commentatione perpendimus, is toto cordis affectu malitiosam hanc in surgendo socordiam fugiat, & detestetur.

§. II.

Est peccatum vile.

I. **N**ec minor hujus ignaviæ vilitas est. Nam ejusmodi Endymiones & lucifugæ talpæ à suis moderatoribus propterea acriter reprehenduntur, ab æqualibus non sine sarcasmis carpuntur, ab inferioribus non rarò in faciem vilipenduntur, & ab ipso tandem dœmone, quod rei caput est, turpiter ludificantur; utpote qui singularem quandam in illorum phantasiam, humores & caput potestatem

exer-

I.
*Tales sunt
aliis ladi-
brio.*

exercet, non adeò absimilem illi, qua in circumfessos dominatur; illud pro suo libitu, nescio, qua gravedinosa torpedine & somniculosa membrorum lassitudine plumbeum reddendo, ac instar vilis bestiae soporis capistro culcitrae affigendo, ita ut hi tenebri-
cosi vespertiones jure similes dicantur illi mulieri, *quam alligaverat Satanas decem & octo annis* adeò miserè, ut *inclinata omnino non potuerit sursum respicere.* (a)

Nam etiam tales ab orci genio ita pulvino agglutinantur, ut ad hanc communem cum feris illecebram toto homine incurvati, nequeant mentem in altum attollere, quæ unà cum corporis trunco plumis immersa ita stertit, ut ad tractanda dein cœlestia inhabilis reddatur; idque *decem & octo* non rarò *annis*, imò totius vitæ curriculo: vitiosa consuetudine in naturam degenerante; non sine magno animæ rationalis probro, quæ infra suam dignitatem foedè depressa vilescit:

Pars I.

R

nec

(a) Luc. 13, v. 11, & 16.

nec sine iniusta partæ existimationi macula, quæ propterea passim & merito vapulat.

II.
Sibi pro-
bro.

II. Quid enim indignius, quàm esse vile mancipium somni, qui nos brutis æquales reddit? esse mediastinum illius carnis, quæ non nisi faccus stercorum est & esca vermium? esse probrum illius abjectæ commo- ditatis, cuius nos postea vigiles pudet? esse ludibrium cacodæmonis, qui omnia nostra, quæ in contrarium tam firmiter concepimus, proposita uno rhonco aut halitu diffilat, & pro- broso risu nostram hanc inconstantiam exhibilat? Profectò sola rei hujus vi- litas honestæ indoli culcitrosæ hujus inertiaæ horrorem incutere deberet.

§. III.

Et valde noxium.

I.
Vitiat
oratio-
nem.

I. **D**Amna verò, quæ ex mala hac humiliq̃ue desidia scaturiunt, gravia sanè & valde noxia sunt. Pri-
mus

mus hujus pestis effectus est malus meditationis successus; dum enim alii luminum Patri fervidæ orationis tributum summo mane flexis genibus persolvunt, talis in toro stertens, turpi socordiæ vecors indulget.

Aut si etiam, timore humano stragulis extractus, in oedeo comparet, solum corpore non animo præsens est; cum carnei instar trunci pulpiti pleno pondere premens, vel somniculosus toto se langueat, vel innumeris evagationibus in diversa distractus, hinc inde per domum, urbem & orbem vagetur. Quàm magna autem sint, quamque lethalia remissæ aut omissæ meditationis detrimenta, ex secundæ partis capite 2. patebit.

II. Alter inde proveniens effectus est tepor, ille juratus amoris divini hostis, virtutum pernicies, & vitiorum fons, qui in omnes totius diei actiones sese instar veneni diffundens, cunctas corrumpit; efficitque, ut illis ipsis actionibus quotidianis, qui-
R. 2
bus

II.
Inducit teporem.

bus ingentes gratiæ & gloriæ thesauros nobis promereri potuissemus, non nisi culpas accumulamus & pœnas, in lustrali ergastulo diutissimè luendas.

Lerneæ huic hydræ sua pariter incunabula debent distracta sacra Hostiæ litatio, oscitans precum sacerdotalium recitatio, solitudinis horror, & fugata mentis collectione, continua sui effusio in externa; quam ponè pleno agmine sequuntur neglectus operum pœnitentiæ, intemperantia in cibo & potu, effroenis linguæ mordacitas, morum laxitas, scurriles joci, sensuum libertas, laborum fuga, & tædium disciplinæ. Porro quàm periculosa, quàmque perniciosa hæc mala sint, abunde liquet, partim ex jam dictis, partim ex adhuc dicendis.

III.
*Impedit
gratias.*

III. Denique ex hac dormiendi lascivia emanat illa illustrationum, superiorumque impulsuum negatio: illa divinæ & specialis circa nos Providentiæ subtractio, qua nos DEUS aliàs fovisset, tutasset, rexisset, & velut

Iut insertos paterno sinui infantulos, gerulo amore à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano (a) innocuos servasset. Unde fit, ut provida hac & singulari tutela nobis subtracta, in graves postmodum perturbationes, cum Superioribus dissensiones, cum fociis altercationes, foedasque carnis tentationes prolapsi, à ruina in lethalem noxam proximè distemus.

Præter frequentem experientiam hujus veritatis luculenta nobis probatio est Sulamitis illa, cujus fatum cœlestis epithalamii carmine narratur. (b) Hæc, quia non statim, ac audita est vox dilecti pulsantis, eidem, excusso promptè somno, fores aperuit, allatisque variis obtentibus, pigras in lecto moras traxit, hanc suam negligentiam multiplici pœna expiare debuit. Nam, licèt postea facti pœnitens tamen surrexerit, ut aperiret dilecto suo, & pessulum ostii sui etiam re-

R 3

mo-

(a) Psal. 90, v. 6. (b) Cantic. 5, v. 2. & seq.

moverit; tamen *ille jam declinaverat, atque transierat.*

Coelestem quidem Sponsum instituta meditatione mox sollicita *quaesivit*, sed *non invenit*: *vocavit*, sed *non respondit ei*; repore toto nisu obstante. Inde per mentis dissipationem in creaturas effusa, & solitudinis impatiens foras egressa, *civitatem circumvixit*, ut à filiabus Jerusalem quicquam solatii emendicaret. Sed à *custodibus murorum* (nempe demonibus, qui assidue *circumeunt, quarentes, quem devorent*) (c) percussa, & vulnerata, ipso denique pallio suo privata fuit; per quod quidam Interpretes gratiae stolam denotari autumant. En! in quas miseras catenata serie sensim animam hæc segnities præcipitem det. Ut proin verissimum sit, detestabilem hanc in surgendo inertiam 1. esse leve peccatum, 2. & quidem valde abjectum & vile, 3. summeque noxium; adeoque omni horrore averfandum.

IV. Nec

(c) 1. Petr. 5. v. 8.

IV. Nec dicas, stomachi infirmitatem, capitis gravedinem, membrorum lassitudinem inducere manifestam longioris somni necessitatem, quæ hanc actionem non solum ab omni labe immunem reddat, sed insuper cohonestet. Nam, licet certum sit, quod subinde possit dari vera necessitudo sopori ultra consuetum tempus indulgendi; tamen certum pariter est, quod ab amore proprio sæpissimè depingatur ut necessitas, quod re ipsa non est nisi cupiditas: quod nobis persuadeamus esse in valetudinem corporis, quod tamen non est nisi torpedio mentis: quodque videtur esse spirituum defectus, solum sit teporis effectus; ita ut etiam his dici possit: *febris tua pigritia est: morbus tuus blandiens sensibus mollicita est.*

IV.
Occurritur
effugi-
is.

Ne igitur in re tanti momenti, à qua multum dependet noster in virtute profectus, à subdolæ carnis appetitione fallaci prætextu nequiter decipiamur, allatas suprà rationes ponderare Sanctuarii obiter librabimus. In-

primis enim prætenfa ægrotatio illa
 fapiffimè non nifi imaginaria, folùm
 in phantafia existens, imbecillitas eft.
 2. Sæpe, licèt vera fit, notabilis ta-
 men non eft, fed folummodo levis
 proin negligenda potiùs quàm curan-
 da. 3. Subinde tantùm tentatio dæ-
 monis eft, humores vehementiùs com-
 moventis, & febricitantes commotiun-
 culas imitantis; uti expertos novimus
 S. S. Pachomium, Theresiam, & alios
 quamplurimos. Hæc autem ægritudo
 non pellitur dormiendo; fed generosè
 furgendo, & torpidam carnem acri fla-
 gello, inflictis aliquot ictibus, excitando.

Sed demus non fucata nos, fed
 vera laborare fanguinis intemperie;
 quid autem remedii afferet inquieta
 illa & anxia quadrantis horæ aut me-
 diæ fpatio producta in grabato mo-
 ra? aut fi depelli hæc incommoditas
 brevi adeò cunctatione potest, certè
 notabilis non fuit. At repones: at-
 qui nondum eft fugata, qua incom-
 modor, moleftia; indigerem adhuc vel
 maximè longiori quiete. Verùm ain',
 fi

si necdum dispulsa capitis gravedine, tamen quadrante aut media seriùs è strato te proripis ex respectu hominum; cur idem facere non possis quadrante aut media citiùs ex amore DEI? Mirum certè, majorem vim curandi ejusmodi morbos inesse respectui humano, quàm amori divino.

Sed oppones: manè expergefactus sudore totus diffluo. Sudore autem madidum mox surgere in cubiculo præsertim frigido humidoque, officit sanitati. At contrà est, vel hic sudor, protracta in lecto mora, denuo per poros intra cutem se recipere permittitur; vel, ut continuet, procuratur? Prius obest valetudini; proin id ne fiat, potiùs is statim abstergendus erit. Posterius autem surgendi non tollit difficultatem; adeoque nec longiori intervallo decumbendi inducit necessitatem. Nam etiam hic denuo prolectus sudor aliquando tergendus erit; quia aliquando cervicali valedicendum erit; cubiculum autem media quinta ex. gr. erit æquè frigidum

ac hora quarta. Quod ergo faciendum media quinta, cur fieri nequeat hora quarta? sudor, qui detergetur paulò tardiùs, cur abstergi nequeat paulò citiùs?

Dices: hæc ipsa in sudando mora conducit sanitati. At nocet virtuti. Ergone Religioso, qui vi regulæ in omnibus quærere tenetur continuam sui afflictationem, potior sit cura carnis quàm animæ? Modò jactanti hiatu cunctis Europæ commodis terga vertere, Indicisquæ miseris nos mancipare optamus; & paulò post vel pulvinum deserere metu umbratilis agrimonix pigramur. Nos hodie DEO ad subeundos labores Apostolicos prodigo vitæ affectu plenis buccis offerimus; & altero mox die timore levis molestiæ nos stragulis immergimus. Vah! plumeos athletas, & orco (si Superis placet) formidandos gigantes, utpote quos dæmon sola culcitra, injectis solummodo plumis sternit, stratoquæ affixos quasi catenatos tenet. Ex his patet, quàm
 potens

potens ratio protrahendi soporis plerumque apud nos corporis infirmitas fit.

Ejusdem furfuris est illud effugium, quo alii obtendunt, se ad meditandum, & studendum inhabiles fore, nisi diutius dormitando, cerebri vapores dissipent. Nempe non est forma, quam protheus sui amor non induat: non dolus, quem subdolus hic Sinon non excogitet, ut miserè deceptis, etiam sub larva pietatis imponat. O bone! surgendi alacritas has nebulas omnium optimè solvit, & fugat; prolixior fomnus eas potiùs auget, & densat. Dein si tamen stertendum est, mea pace salva oratione, apto tempore, bonis avibus fellæ infidens dormias. At meliùs id fieri in toro ais; equidem id ibi *commodiùs* fieri concessero; *convenientiùs*, nego, & pernego.

Nam diem auspicari à peccato veniali cum neglectu excitantis gratiæ, cum contemptu remordentis conscientiæ,

tia, cum despectu Christi Eucharistici ad sui adorationem invitantis; idque agere Religiosum, qui à regula ad primum æris campani sonum eò, quò vocatur, se conferre jubetur; imò & sacerdotem, qui illo adhuc die cœlestem victimam litaturus, ipsos etiam angelos cordis munditia superare deberet; hos primitias diei amoris proprio, commoditati, diabolo consecrare; hos tot gradus gratiæ & gloriæ fomniculosæ torpedini immolare: hos vilia grabati mancipia dæmonisque ludibrium esse; & stertere in lecto eo ipso tempore, quo DEUM astra matutina jam laudant: quo ejus focii Sanctissimum jam adorant: quo mundani quoque homines vel in templis sacrificio jam intersunt, vel in suis officinis labori insistent; hoc certè tam vitiosa, vilis, & noxia virumque religiosum, eumque sacerdotem adeò dedecens res est, ut verba me deficiant, quibus hujus vitii malitiam, foeditatem, & damna dignis coloribus depingam; & quæ jure meretur, ut *Dominus*, immissa tali Endymioni infirmi-

firmitate, universum stratum ejus in lectum doloris vertat. (d)

Proin si tua tibi sanitas, perfectio, salus cordi est, hora surgendi ne te trices; (e) sed statim, alacriter, religiosè culcitam abjice, ac insuper habito omni præsertim valetudinis obtentu, cum Juvene innocentissimo Joanne Berckmanno è Societate Jesu etiam tu sequens propositum concipe: O lucis conditor DEUS! *disrum- par potius, quàm vel minimam ordina- tionem aut regulam etiam illam, quæ manè è lectulo mox exilire jubet, vo- luntariè transgrediar. Potius amittam omnem sanitatem, quàm ob illam ullam regulam etiam hanc prætergrediar.* (f) Sic manè somnum constanter abrupisse, multam sub vitæ occasum ani- mo quietem afferet.

Igitur non dormiamus sicut & cæteri,
sed vigilemus; (g) nam misericordia
DEI

(d) Psal. 40. v. 4. (e) Eccli. 32. v. 15.
(f) Hermannus Hugo in vita Berckmanni p. 4.
fol. 255. (g) 1. Thessal. 5. v. 6.

DEI est quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens, (h) quæ qui somniculosè neglexerit, habitabit in siccitate; (i) obscurabunt eum tenebrae, & involvetur amaritudine. (l) Proin cùm manè vocem excitantis campani æris audieritis, nolite obdurare corda vestras; (m) sed expergiscimini. Ecce enim Dominus egredietur de loco, ut visitet. (n) Beati autem sunt servi illi, quos, cùm venerit, invenerit vigilantes, (o) & orationi vacantes. Amen dico vobis, (p) disponent ascensiones in corde suo, ut eant de virtute in virtutem; donec videant DEUM deorum in Sion. (q)

§. IV.

*Industria hanc in surgendo
ignaviam pellendi.*

UT conceptum animi propositum, omnes in surgendo moras præcipitandi, eò certius ac majori cum faci-

(h) Osee 6. v. 4. (i) Jerem. 17. v. 6.
 (l) Job. 3. v. 5. (m) Psal. 94. v. 8. (n)
 Isa. 26. v. 19. & 21. (o) Luc. 12. v. 37. (p)
 Ibid. (q) Psal. 83. v. 6.

facilitate mentisque promptitudine executioni mandemus, quasdam hunc in finem industrias hic apponendas censui, quæ observandæ erunt 1. pridie ante somnum, 2. ipsa surgendi hora, 3. casu, quo pigritiæ victi cesserimus.

I. Prima industria pridie, antequam lecto nos committamus, in usum deducenda, suggeritur à S. P. Ignatio, (a) consistitque in eo, ut certam temporis horam determinemus, qua altero die plumis valedicere constituamus. Hoc autem animi decretum cum primis firmum, efficax ac sacrosanctum sit oportet, cui contravenire nefas omnino sit. Hinc proderit sagaci oculo providisse illas difficultates, amoris proprii technas, prætextus ac remoras, quibus sub galli cantum, dum è strato profiliendum esset, concepta pridie voluntas impugnari, convelli, ac labefactari consuevit. Multumque in rem conferet, mentem contra eas prævio munimine obarmasse, dicendo v. g. ô Domine!
crafti-

I.
OBSERVANDA
PRIDIE ANTE
SOMNUM.

(a) In suo lib. Exercit,

craftina luce hac N. hora, quamprimum ac ea fuerit audita, sine ulla tergiversatione me quantocyus è stragulis proripiam; idque etiam agere fixum est, licet caput gravedinosa torpedine langueat: aut stomachus inedia, fastidio, repletionem doleat: aut corpus sudore madeat.

Firmando huic proposito, plurimum roboris addet temporarium & levi sub noxa obligans votum, quo quis se obstringat, bidui, tridui vel octidui spatium somnum ultra præfixum tempus non producere. Incredibile dictum est, quantopere fidelis hic conatus Numinis liberalitatem provocet, eamque amica vi quasi compellat, ut nobis, cum somniculoso hoc dæmone luctantibus, victrici auxilio succurrat. Juerit insuper sanctos Cœlites in rei testes advocare, tanquam futuros olim nostros in extremo judicio accusatores, si datam DEO fidem fefellerimus; unumque ex ipsis in singularem Patronum eligere, sub cujus auspiciis & in cujus honorem matutinam in surgendo

do

do desidiā vincere statuamus. In-
signem huic industriæ vim inesse, ex-
perientia docebit. Ita animo obfir-
matus, Morpheo utrumque oculum
ambasque aures indulge.

II. Alteram industriam ipso diei II.
diluculo adhibendam, insinuat Eccle- Observeda ipsa
siasticus, dicens: *hora surgendi ne te* sa surgendi hora.
trices. (b) Si enim tecum ipso di-
sputare, si cum amore proprio alter-
cari, si suggestas à dormiendi libidine
rationes discutere vel tantillum oc-
ceperis; actum est de victoria. Pal-
mam socordia indubiè referet. Vi-
ctus, vinctusque culcitrosæ inertiae cer-
tò in prædam cedes. Verbò: infelix
Samson eris, quem fallax hæc Dalila
fœdè proditum, & coelesti lumine or-
bum stygiis hostibus tradet illuden-
dum. Ulysses nî fueris, qui ambas
aures sanctiori cera obturet, hujus sy-
renes blanditiis incantatus, procul du-
bio inter ipsas plumas constantiæ nau-
fragium facies.

Pars I.

S

Igitur

(b) Eccli. 32. v. 13.

Igitur audito æris campani sono aut excitatoris voce, statim sine mora, excussa omni pigritia, generoso saltu è lecto te proripe; idque age eadem omnino velocitate, qua inde profileres, si maculosus serpens aut venenatus scorpio in eundem irrepsisset; aut si vorax flamma subito incendio stragulam corripuisset. Nam, crede mihi, hæc quoque in surgendo desidia, & stertendi cupiditas blandè quidem *ingreditur; sed etiam ipsa in novissimo mordet ut coluber.* (c) Hæc quoque scintilla est, quæ cyprios ignes, si non creat, saltem nutrit, & fovet. Cave ergo, ne & hæc tibi *vertatur in colubrum,* (d) & miserè adurat innocentia stolam. Nam hac in mora periculum & quidem magnum est.

Ut autem eò alacrius promptiusque pulvinum abjicias, manè expergefactus, finge ab Angelo Custode è somno te excitari, ac etiam tibi, ut olim Petro, ab eodem dici: *surge velociter:* (e) tibi ultima vitæ illuxit dies:
 hodie

(c) Prov. 23. v. 32.
 (e) Act. 12. v. 7.

(d) Exod. 7. v. 9.

hodie morieris tu, & non vives: (f)
reddēsque rationem villicationis tuæ. (g)
Reverentia Tutori Genio debita, viciniæ mortis judiciiꝛue memoria potens utique sunt hac in re strenuè se vincendi incitamentum; præcipuè cùm mera hæc figmenta non sint.

Nam æthereus tui lateris Comes reip-
sa non rarò te excitat, & ad pellen-
dam hanc torpedinem folerter animat.
Quid enim aliud sunt illi remordentis
conscientiæ aculei, illæ illustrationes
& impulsus, quibus ad excutiendum
soporem acriter impelleris, quàm bo-
na suavoris Angeli monita, piiꝛue hor-
tatus? Præterea præsens hæc dies tibi
ultima vitæ absque miraculo facillimè
posset esse, & fors etiam erit. Quàm
multi jam sani vegetesque matutino
tempore è strato surrexerunt, canam
senectutem somniantes, quibus tamen
diei crepusculum æternitatis diluculum
fuit! Quod autem innumeris conti-
git, evenire etiam tibi posse, num in-
ficias ibis?

S 2

Dein

(f) 4. Reg. 20. v. 1. (g) Luc. 16. v. 1.

Dein si etiam superstitem esse de-
 tur, lucis primordia DEO consecrasse
 certè non poenitebit. Pudebit autem,
 & dolebit vel maximè, si conscientia
 tibi moribundo exprobrare queat, te
 prima ultimæ diei momenta peccato
 veniali conspurcasse, amorì proprio
 sacrasse, turpique socordiæ litasse. Pi-
 gebit, si quarenti olim Divino Judi-
 ci: *ubi eras, cum me laudarent simul
 astra matutina, & jubilarent omnes filii
 DEI?* (h) reponere cogaris: in lecto,
 plumis immersus, turpiter stertebam.
 Igitur nunc age, quod tunc fecisse gau-
 debis, omisisse autem serìò quidem,
 sed serò nimium deslebis.

III.
 Obser-
 vanda
 casu, quo
 pigritia
 victus ces-
 seris.

III. Tertia denique industria illum
 concernit casum, quo quis pigritiæ
 victus cesserit, ac in spontanea confi-
 stit mulcta, quam propterea exolven-
 dam quis sibi met ipsi imponit, pro-
 prius iudex & ultor. Vindex hic in
 seipsum rigor tria præcipuè affert emo-
 lumenta. Inprimis in servando hoc
 animi decreto posthac nos cautiore
 red-

(h) Job. 38. v. 4. & 7.

reddit. Dein offensum Numen citiùs placat. Denique ampliorem meretur gratiam, in posterum promissis standi. In similium castigationum exempla, Sanctorum historias evolvendo, passim incurres; easque varias pro re nata ac fini, qui intenditur, aptiores perspicax fervor facilè inveniet, suggeretque.

Indaga proin, an non etiam tu *hora surgendi te trices?* (i) & *sicut ostium vertitur in cardine suo,* ita etiam tu *piger in lectulo tuo te volutes?* (k) num non etiam tu in tui perniciem ingeniosus sis *ad excusandas excusationes in peccatis;* (l) id est, ad confingenda varia, quibus tuam hanc inertiam pallies, effugia? Decerne, an & qua ratione suppeditatas hactenus industrias in usum deducere statuas? si unquam aliàs, nunc profectò magnanimum te cupio. Secus time, ne ultor DEUS tuam hanc socordiam castigaturus, immisso tibi morbo, diutius quàm optes, te culcitæ affigat.

S 3

Et

(i) Eccli. 32. v. 15. (k) Prov. 26. v. 14.
(l) Psal. 140. v. 4.

Et tandem quousque dormies piger? En! nisi consurgas è somno tuo, veniet tibi quasi cursor egestas mentis, & mendicitas spiritûs quasi vir armatus. Si verò impiger fueris in surgendo, veniet tibi ut fons messis virtutum, & egestas anima longè fugiet à te. (m) Sique cor tuum tradideris ad vigilandum diluculo ad Dominum, & in conspectu Altissimi aperueris os tuum in oratione; ipse spiritu intelligentiæ replebit te, & diriget consilium tuum. (n) Nam, qui manè vigilaverint ad me, invenient me, dicit Dominus. (o) Contrà verò si stragulis exire tardaveris, cœleste manna æquè parum ac illi segnes Israëlitæ reperies, & cum illa Sulamitide cœlestem Sponsum jam declinasse dolebis. Proin surge, qui dormis; fecus, horâ meditationis non illuminabit te Christus. (p) Quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem cœlestem, & in templo ad ortum lucis DEUM Eucharisticum adorare. (q)

CON-

(m) Prov. 6. v. 9. Item 26. v. 33. (n)
 Eccli. 39. v. 6. & seq. (o) Prov. 8. v. 17.
 (p) Eph. 5. v. 14. (q) Eccli. 16. v. 28.